M. A. PLAUTI

AULULARIA,

UT EST HABITA

APUD WESTMONASTERIENSES,

ANNO 1796.

LONDINI:

SUMPTIBUS G. & G. GINGER, JUXTA SCHOLAM REGIAM WESTMONASTERIENSEM.

1796.

AUXILIARIA,

UT ESTHAETA

APUD WESTMONASTERIENSES,

ANNO 1765.

LONDINI:

SUMPTIBUS G. & C. Ginger, JUXTA SCHOLAM REGIAM Westmonasterii.

1765.

DRAMATIS PERSONÆ.

EUCLIO,	Senex.
STAPHYLA,	Anus.
EUNOMIA,	Mulier.
MEGADORUS,	Senex.
STROBILUS,	Servus.
ANTHRAX, CONGRIO,	Coqui.
LYCONIDES,	Adolescens.
PHÆDRA,	Puella.

ITA me Dij Deæque omnes amaverint! ut ego Plauti Aululariam maximi feci ſemper, eamque adeò præ cæteris dignam cenſui, quam non modo juventus hæc noſtra, verum etiam omnis ætas ſtudioſiſſimè expeteret. Neque id adeo injuria, nam præter dictionis genus vere Romanum, tota ethica eſſe, et ad pudicos honeſtoſque mores facta videri poteſt.

JANUS DOUSA.

LECTORI B.S.

SI in hac editione repertum fuerit aliquid detractum, additum aut immutatum, id ne temere factum credas, ut venæ alienæ ſales, leporibus Plautinis inſererentur, ſed connectendi gratiâ argumenti ſolummodo, et ut puerorum ludis fabula imperfecta ab auctore relicta melius accomodaretur.

AULULARIA.

ACTUS I. SCENA I.

EUCLIO, STAPHYLA.

Euclio.

EXI, inquam, age exi. Exeundum hercle tibi hinc
est foras,
Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
Sta. Nam cur me miſeram verberas? *Euc.* Ut miſera ſis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.
Sta. Nam qua me nunc cauſſa extruſiſti ex ædibus?
Euc. Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?
Illuc regredere ab oſtio: illuc ſis. Vide, ut
Incedit. At ſcin' quo modo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.
Sta. Utinam me divi adaxint ad ſuſpendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te ſerviam.
Euc. At ut ſceleſta ſola ſecum murmurat!
Oculos hercle ego iſtos, improba, effodiam tibi,
Ne me obſervare poſſis, quid rerum geram.
Abſcede: etiam nunc: etiam nunc: etiam. Ohe!
Iſtic adſtato. Si hercle tu ex iſtoc loco
Digitum tranſvorſum aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te juſſero,

Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certe ſcio
Vidiſſe nunquam: nimiſque ego hanc metuo male,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit,
Neu perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum:
Quæ in occipitio quoque habet oculos, peſſuma.
Nunc ibo ut viſam, eſtne ita aurum ut condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
Sta. Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Malæ rei eveniſſe, quamve inſaniam,
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die uno ſæpe extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ iſtunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminiſci: neque quicquam melius eſt mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

ACTUS I. SCENA II.

EUCLIO, STAPHYLA.

Euclio.

NUNC defæcato demum animo egredior domo,
Poſtquam perſpexi ſalva eſſe intus omnia.
Redi nunc jam intro: atque intus ſerva. *Sta.* Quippini?
Ego intus ſervem? an ne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus;
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.
Euc. Mirum quin tua nunc me cauſſa faciat Juppiter
Philippum regem, aut Darium, triveneſica.
Araneas mihi ego illas ſervari volo.
Pauper ſum, fateor, patior. Quod di dant fero.
Abi intro. Occlude januam. Jam ego hic ero.
Cave quenquam alienum in ædis intromiſeris.
Quod quiſpiam ignem quærat, extingui volo.

Ne cauſſæ quid ſit, quod te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet.
Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quæ utenda vaſa ſemper vicini rogitant,
Fures veniſſe, atque abſtuliſſe dicito.
Profecto in ædes meas me abſente neminem
Volo intromitti. Atque etiam hoc prædico tibi,
Si bona fortuna veniat, ne intromiſeris.
Sta. Pol ea ipſa credo ne intromittatur cavet:
Nam ad ædis noſtras nuſquam adiit, quanquam prope eſt.
Euc. Tace, atque abi intro. *Sta.* Taceo, atque abeo.
Euc. Occlude ſis
Fores ambobus peſſulis, jam ego hic ero.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Nimis hercle invitus abeo: ſed quid agam, ſcio.
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter Curiæ
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illico
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.
Nam non eſt veriſimile, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc quum celo ſedulo omnes, ne ſciant,
Omnes videntur ſcire, et me benignius
Omnes ſalutant, quam ſalutabant prius:
Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras:
Rogitant me ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc quo profectus ſum ibo, poſtidea domum
Me rurſum quantum potero, tantum recipiam.

ACTUS I. SCENA III.

EUNOMIA, MEGADORUS.

Eunomia.

VELIM te arbitrari, me hæc verba, frater,
Meæ fidei tuæque rei hoc cauſſa
Facere, ut æquum eſt germanam ſororem.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proxumam me, mihique item eſſe te.
Ut æquum eſt, quod in rem eſſe utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi me conſulere et monere:
Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari,
Quin participem pariter ego te, et tu me ut facias,
Eo nunc ego ſecreto te huc foras ſeduxi,
Ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.
Meg. Da mihi, optuma fœmina, manum. *Eun.* Ubi ea eſt? quis ea
Eſtnam optuma? *Meg.* Tu. *Eun.* Tune ais? *Meg.* Si negas, Nego.
Eun. Decet te equidem vera proloqui.
Nam optuma nulla poteſt eligi: alia alia
Pejor, frater, eſt. *Meg.* Idem ego arbitror, nec tibi
Adverſari certum eſt de iſtac re unquam, ſoror.
Eun. Da mihi operam amabo. *Meg.* Tua eſt, utere
Atque impera, ſi quid vis. *Eun.* Id quod in rem tuam
Optumum eſſe arbitror, te id admonitum advento:
Meg. Soror, more tuo facis. *Eun.* Facta volo.
Meg. Quid eſt id, ſoror?.
Eun. Quod tibi ſempiternum ſalutare
Sit procreandis liberis, ita dî faxint,
Volo te uxorem domum ducere. *Meg.* Hei occidi!
Eun. Quid ita? *Meg.* Quia mihi miſero cerebrum excutiunt
Tua dicta, ſoror: lapides loqueris. *Eun.* Heja, hoc face,

Quod te jubet ſoror. *Meg.* Si lubeat, faciam. *Eun.* In rem
Hoc tuam eſt. *Meg.* Ut quidem emoriar, priuſquam ducam.
Sed his legibus, ſi quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, ſoror.
His legibus quam dare vis, cedo; nuptias adorna.
Eun. Quam maxuma poſſum tibi, frater, dare dote:
Sed eſt grandior natu: media eſt mulieris ætas.
Eam ſi jubes, frater, tibi me poſcere, poſcam.
Meg. Num non vis me interrogare te? *Eun.* Imo ſi quid vis, roga.
Meg. Poſt mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum;
Si eam ſenex anum pregnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin ſit paratum nomen puero Poſtumus?
Nunc ego iſtum, ſoror, laborem demam, et diminuam tibi.
Ego virtute deûm et majorum noſtrorum dives ſum ſatis.
Iſtas magnas factiones, animos, dotes dapſiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quæ in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.
Eun. Dic mihi, quæſo, quis ea eſt, quam vis ducere uxorem? *Meg.* Eloquar.
Noviſtin' hunc ſenem Euclionem ex proximo pauperculum?
Eun. Novi, hominem haud malum meatſor. *Meg.* Ejus cupio filiam
Virginem mihi deſponderi: verba ne facias, ſoror.
Scio quid dictura es: hanc eſſe pauperem. Hæc pauper placet.
Eun. Dî bene vortant. *Meg.* Idem ego ſpero. *Eun.* Quid? Me nunc quid vis? *Meg.* Vale.
Eun. Et tu, frater. *Meg.* Ego conveniam Euclionem, ſodomi
Eſt. Sed eccum, neſcio unde ſeſe homo recipit domum.

ACTUS I. SCENA IV.

EUCLIO, MEGADORUS.

Euclio.

PRÆSAGIBAT mihi animus, fruſtra me ire, quum exibam domo.
Itaque abibam invitus, nam neque quiſquam Curialium
Venit, neque magiſter, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hic; animus domi eſt.
Meg. Salvus atque fortunatus, Euclio, ſemper ſies.
Euc. Dî te ament, Megadore. *Meg.* Quid tu? Recten' atque ut vis vales?
Euc. Non temerarium eſt, ubi dives blande appellat pauperem.
Jam illic homo aurum me ſcit habere, eo me ſalutat blandius.
Meg. Ain' tu te valere? *Euc.* Pol ego haud à pecunia perbene.
Meg. Pol ſi animus eſt æquus tibi, ſatis habes, qui bene vitam colas.
Euc. Anus hercle huic indicium fecit de auro: perſpicue palam eſt.
Cui ego jam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi.
Meg. Quid tu ſolus tecum loquere? *Euc.* Meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque illocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. *Meg.* Tace. Bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adjuvabere à me: dic ſi quid opus eſt: impera.

Euc. Nunc petit, quum pollicetur: inhiat aurum ut devoret.
Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.
Nemini credo, qui large blandu'ſt dives pauperi.
Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Ego iſtos novi polypos, qui ſibi quicquid tetigerint, tenent.
Meg. Da mihi operam parumper. Paucis, Euclio, eſt quod te volò
De communi re appellare mea et tua. *Euc.* Hei miſero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum eſt. Nunc hic eam rem volt, ſcio,
Mecum adire ad pactionem: verum interviſam domum.
Meg. Quo abis? *Euc.* Jam ad te revortar: namque eſt quod viſam domum.
Meg. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mihi ut deſpondeat, ſeſe à me derideri rebitur.
Neque illo quiſquam eſt alter hodie ex paupertate parcior.
Euc. Dî me ſervant, ſalva res eſt: ſalvum eſt, ſi quid non perit.
Nimis male timui; priuſquam intro redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, ſi quid me vis. *Meg.* Habeo gratiam.
Quæſo quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
Euc. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
Meg. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum?
Euc. Bono.
Meg. Quid fide? *Euc.* Bona. *Meg.* Quid factis?
Euc. Neque malis, neque improbis.
Meg. Ætatem meam ſcis? *Euc.* Scio eſſe grandem, itidem ut pecuniam.
Meg. Certe edepol equidem te civem ſine mala omni malitia
Semper ſum arbitratus, et nunc arbitror. *Euc.* Aurum huic olet.

Quid nunc me vis? *Meg.* Quoniam tu me, et ego te qualis ſis ſcio:
Quæ res recte vortat, mihique tibique tuæque filiæ,
Filiam tuam mihi uxorem poſco, promitte hoc fore.
Euc. Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres quod facis.
Meg. Neque edepol ego te deriſum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. *Euc.* Cur igitur poſcis meam gnatam tibi?
Meg. Ut propter me tibi ſit melius, mihique propter te et tuos.
Euc. Venit hoc mihi Megadore, in mentem: te eſſe hominem divitem,
Factioſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum:
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem eſſe, et me eſſe aſellum. Ubi tecum conjunctus fiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto:
Meg. Quam ad probos propinquitate proxime te adjunxeris,
Tam optumum eſt. Tu conditionem hanc accipe: auſculta mihi,
Atque eam deſponde mihi. *Euc.* At nihil eſt dotis quod dem. *Meg.* Ne duas.
Dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis.
Euc. Eo dico, ne me theſauros reperiſſe cenſeas.
Meg. Novi, ne doceas. Deſponde. *Euc.* Fiat, ſed proh Juppiter!
Non ego diſperii! *Meg.* Quid tibi eſt? *Euc.* Quid crepuit quaſi ferrum modo?
Meg. Hic apud me hortum confodere juſſi. Sed ubi hic eſt homo?

Abiit, neque me certiorem fecit: faſtidit mei.
Quia videt me ſuam amicitiam velle, more hominum facit.
Nam ſi opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi, per metum male rem gerit.
Idem quando illæc occaſio perit, poſt ſero cupit.
Euc. Si hercle ego te non elinguandam dedero uſque ab radicibus,
Impero auctorque ſum, ut tu me cuivis mulctandum loces.
Meg. Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem ſenecta ætate ludos facias, haud merito meo.
Euc. Neque edepol, Megadore, facio: neque ſi cupiam, copia eſt.
Meg. Quid nunc? etiam mihi deſpondes filiam? *Euc.* Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi. *Meg.* Sponden' ergo? *Euc.* Spondeo.
Meg. Iſtuc di bene vortant. *Euc.* Ita di faxint, illud facito ut memineris
Conveniſſe, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
Meg. Memini. *Euc.* At ſcio, quo vos ſoleatis pacto perplexarier.
Pactum non pactum eſt, non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.
Meg. Nulla controverſia mihi tecum erit. Sed nuptias
Hodie quin faciamus num quæ cauſſa eſt? *Euc.* Imo edepol optuma.
Meg. Ibo igitur, parabo. Nunquid me vis? *Euc.* Iſtuc. *Meg.* Fiet, vale.
Heus, Strobile, ſequere propere me ad macellum ſtrenue.
Euc. Illic hinc abiit, di immortales, obſecro, aurum quid valet!
Credo ego illum jam inaudiſſe, mihi eſſe theſaurum domi:
Id inhiat, ea affinitatem hanc obſtinavit gratia.

ACTUS II. SCENA I.

EUCLIO, STAPHYLA.

Euclio.

UBI tu es, quæ deblateraſti jam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? Heus Staphyla,
te voco:
Ecquid audis? Vaſcula intus pure propera atque elue.
Filiam deſpondi ego: hodie nuptum huic Megadoro
dabo.
Sta. Di bene vortant. Verum ecaſtor non poteſt: ſubitum eſt nimis.
Euc. Tace, atque abi: curata fac ſint quum à foro redeam domum.
Atque occlude ædes: jam ego hic adero. *Sta.* Quid ego nunc agam?
Nunc nobis prope adeſt exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo prope adeſt, ut fiat palam.

ACTUS II. SCENA II.

LYCONIDES, STAPHYLA.

Lyconides.

QUID ais, Staphyla? Quid probrum! quæ partitudo!
Sta. Utrumque inſtat, et me atque Phædram peſſum dabunt.
Lyc. Quid agam miſer? *Sta.* Dum tu meditaris quid agas,
Menſes abierunt decem. Commorando ſcilicet
Et differendo, feciſti alius ut veniret prior.
Lyc. Quid ais venefica? *Sta.* Phædra nuptum datur alteri.

Lyc. Non fiet. *Sta.* Factum eſt. Acta ſunt, tranſacta omnia,
Pater deſpondit. Opſonia emuntur, coqui
Conducti. Hymenæi, cantus, tibicinæ,
Ad fores. Et niſi ego aliquid propere prævidero,
Jam partitudo aderit atque nuptiæ ſimul.
Lyc. Diſcrucior animi. *Sta.* Jam demum iſtud repperis?
Cum vitium intuleris id prius meditari oportuit.
Lyc. At.—*Sta.* Quid at? Cur ceſſas? Senex mox redierit.—
Lyc. Deſine. Cui datur? *Sta.* Megadoro patruo tuo.
Lyc. Patruo? Perii! ſenex adeo adoleſcentulam?—
Quid Phædra autem interea? *Sta.* Præ dolore miſera
Tabeſcit. Lachrymatur. Neque te incuſat tamen.
Lyc. Optimum ingenium narras optimæ mulieris,
Abi, illam fac conſolere quantum potes.
Sta. Conſoler—pulchrè dictum. Quaſi ego ſolatii
Non ipſa indigeam, quæ plectar pendens illico.
Apage. Tuam rem age. Merito ſuccenſeo tibi.
Lyc. Quamobrem? *Sta.* Quia te atque illam ſemper feci maximi.
Vigilavi. Vapulavi. Senis iſtius pertuli
Mores moroſi. Quin totos menſes decem
Tacui. *Lyc.* Novi! *Sta.* Quid mihi partum eſt ſolatii?
Lyc. Sitit anus hæc profectò quantum ſuſpicor.
Sta. Quippinî fitiam? Sitio ecaſtor menſes decem.
Lyc. Tu ſolabere te; dabitur. *Sta.* Quid? *Lyc.* Amphora.
Sta. Amphora? *Lyc.* Tota, inquio, ac plena vini optimi.
Vetus erit et dulcius quam Chium eſt atque Leſbium.
Sta. Da fidem. *Lyc.* Do. Spondeo. Jusjurandum addam inſuper.
Sta. Jura, atque ædes incendam, herumque comburam in incendio.
Numquid me vis? *Lyc.* Phædræ animum ut confirmes mihi.

ACTUS II. SCENA III.

LYCONIDES.

ABIIT temulenta. Quid ego nunc potiſſimum
Incæptem miſer. Aut quam inſiſtam viam?
Quâ confidentiâ matris exquiram opem?
Nam vereor (bona ut eſt mulier) ne noſtri mali
Ipſa ſit caput, et fautrix fratri in nuptiis.
Experiar tamen quid, illa dederit conſilî.
Hâc ſi non ſucceſſit, patruum adibo ipſum.
Id reſtat denique, ut ut res geſta eſt ordine,
Totam ut enarrem, etſi ſcio paratum malum.
Emoriar ſi non hanc uxorem duxero.

ACTUS III. SCENA I.

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO.

Strobilus.

POSTQUAM obſonavit herus, et conduxit cocos,
Tibicinaſque haſce apud forum, edixit mihi,
Ut diſpartirem obſonium hic bifariam.
Con. Me quidem hercle, dicam palam, non dividis.
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.
Str. Herus nuptias
Meus hodie faciet. *Con.* Cujus ducit filiam?
Str. Vicini hujus Eclionis è proxumo.
Ei adeo obſonii hinc dimidium juſſit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
Con. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi.
Str. Nempe ſicut dicis. *Con.* Quid? Hic non poterat de ſuo
Senex ſuæ obſonari filiæ in nuptiis?
Str. Vah! *Con.* Quid negotii eſt? *Str.* Quid negotii ſit rogas?

Pumex non æque eſt aridus, atque hic eſt ſenex.
Con. Ain' tandem ita eſſe ut dicis? *Str.* Tute exiſtuma.
Quin divûm atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier,
De ſuo tigillo fumus ſi qua exit foras.
Quin cum it dormitum, follem ſibi obſtringit ob gulam.
Con. Cur? *Str.* Ne quid animæ forte amittat dormiens.
Hæc mihi te, ut tibi me, æquom eſt credere.
Con. Imo quidem credo. *Str.* At ſcin' etiam quomodo?
Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.
Con. Cenſen' talentum magnum exorari poteſſe
Ab iſtoc ſene, ut det, quî famus liberi?
Str. Famem hercle utendam ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues dempſerat;
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
Con. Edepol mortalem parce parcum prædicas.
Cenſen' vero adeo eſſe parcum et miſere vivere?
Str. Pulmentum pridem eidem eripuit milûus?
Homo ad prætorem deplorabundus venit;
Inſit ibi poſtulare, plorans, ejulans,
Ut ſibi liceret milûum vadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed uter voſtrorum eſt celerior? Memora mihi.
Con. Ego, ut multo melior. *Str.* Cocum ego, non furem rogo.
Con. Cocum ego dico. *Str.* Quid tu ais? *Ant.* Sic ſum, ut vides.
Con. Cocus ille nundinalis eſt, in nonum diem
Solet ire coctum. *Ant.* Tun' trium literarum homo
Me vituperas? Fur, etiam fur trifurcifer.

ACTUS III. SCENA II.

STROBILUS, ANTRHRAX, CONGRIO.

Strobilus.

TACE nunc jam tu: atque agnûm horum uter eſt pinguior?
Con. Licet. *Str.* Tu Congrio eum ſume actutum tibi,
Atque intro abi illuc, et vos illum ſequimini.
Vos cæteri illuc ad nos. *Ant.* Hercle injuria
Diſpertiviſti: pinguiorem agnum iſti habent.
Str. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I ſane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleuſium,
Huc intro abi ad nos. *Con.* O Strobile ſubdole,
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum?
Ubi ſi quid poſcam, ad ravim poſcam, prius
Quam quicquam detur. *Str.* Stultum et ſine gratia eſt
Tibi recte facere, quando quod facias perit?
Con. Qui vero? *Str.* Rogitas? Jam principio in ædibus
Turba iſtic nulla tibi erit: ſi quid uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcere.
Hic apud nos magna turba, ac magna familia eſt;
Suppellex, aurum, veſtes, vaſa argentea:
Ibi ſi perierit quippiam, quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obviam eſt,
Dicant, coci abſtulerunt: comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite.
Horum tibi iſtic nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid ſurripias, nihil eſt. Sequere hac me. *Con.* Sequor.

ACTUS III. SCENA III.

STROBILUS, STAPHYLA, COCI.

Strobilus.

HEus Staphyla prodi, atque ostium aperi. *Sta.* Qui vocat?
Str. Strobilus. *Sta.* Quid vis? *Str.* Hos ut accipias coquos,
Tibicinamque, obsonium que in nuptias.
Megadorus jussit Euclioni hæc mittere.
Sta. Cererine mi Strobile, has facturi nuptias?
Str. Qui? *Sta.* Quia temeti nihil allatum intellego.
Str. At jam afferetur, si à foro ipsus redierit.
Sta. Ligna hic apud nos nulla sunt. *Coc.* Sunt asseres?
Sta. Sunt pol. *Coc.* Sunt igitur ligna; ne quæras foris.
Sta. Quid? impurate, quanquam Vulcano studes,
Cœnæne caussa, aut tuæ mercedis gratia,
Nos nostras ædes postulas comburere?
Coc. Haud postulo. *Str.* Duc istos intro. *Sta.* Sequimini.

ACTUS III. SCENA IV.

EUCLIO, CONGRIO.

Euclio.

VOLUI animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene haberem filiæ nuptiis.
Venio ad macellum, rogito pisces: indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eo fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est qui emam.

Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias,
Occœpi: Feſto die ſi quid prodegeris,
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Acceſſit animus ad meam ſententiam,
Quam minimo ſumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc tuſculum emi, et haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædes noſtras conſpicor?
Et ſtrepitus eſt intus. Nummam ego compilor miſer?
Con. Aulam majorem ſi potes, viciniâ
Pete: hæc eſt parva, capere non quit. *Euc.* Hei mihi,
Perii hercle! aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum occidor, niſi ego intro huc propere propero currere.
Apollo, quæſo, ſubveni mihi, atque adjuva;
Confige ſagittis fures theſaurarios:
Cui in re tali jam ſubveniſti antidhac.
Sed ceſſo priùs, quam prorſus perii, currere?

ACTUS III. SCENA V.

ANTHRAX.

DRomo, deſquama piſces: tu Machærio
Congrum; murænam exdorſua, quantum potes;
Atque omnia, dum abſum hinc, exoſſata fac ſient.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volſus ludiu'ſt.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium ſuum.
Fugiam intro, ne quid hic turbæ fiat itidem.

ACTUS III. SCENA VI.

CONGRIO.

OPTATI cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes,
Date viam qua fugere liceat, facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum.
Lo me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii, ita me iste habuit senex gymnasium.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulchrius:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus.
Attat, perii hercle ego miser! aperit Bacchanal: adest:
Sequitur, scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docuit.

ACTUS III. SCENA VII.

EUCLIO, CONGRIO.

Euclio.

REDI, quo fugis nunc? Tene, tene. *Con.* Quid, clamas?
Euc. Quia ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen.
Con. Quamobrem?
Euc. Quia cultrum habes. *Con.* Cocum decet.
Euc. Quid comminatus mihi?
Con. Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
Euc. Homo nullus est te sceleſtior qui vivat hodie,
Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.
Con. Pol etsi taceas, palam id quidem est. Res ipsa testis est.

Ita fuſtibus ſum mollior miſer magis, quam ullus agnus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio eſt? Quæ res eſt?

Euc. Etiam rogitas? An quia minus quam æquum erat, feci?

Con. Sine. At hercle cum malo magno tuo, ſi hoece caput ſentit.

Euc. Pol ego haud ſcio quid poſt fiat, tuum nunc caput ſentit.
Sed in ædibus quid tibi meiſnam erat negotii,
Me abſente, niſi ego juſſeram? Volo ſcire. *Con.* Tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. *Euc.* Quid tu, malum, curas
Utrum crudum an coctum edim; niſi tu mihi es tutor?

Con. Volo ſcire, ſinas an non ſinas nos coquere hic cœnam?

Euc. Volo ſcire item ego, meæ domi meane ſalva futura?

Con. Utinam mea mihi modo auferam, quæ attuli, ſalva!
Me haud pœnitet, tua ne expetam? *Euc.* Scio: ne doce, novi.

Con. Quid eſt, qua prohibeas nunc gratia nos coquere hic cœnam?
Quid fecimus? Quid diximus tibi ſequius, quam velles?

Euc. Etiam rogitas, ſceleſte homo, qui angulos omnis
Mearum ædium et conclavium mihi perviam facitis?
Id ubi tibi erat negotium, ad focum ſi adeſſes,
Non fiſſile haberes caput: merito id tibi factum eſt.
Adeo ut tu meam ſententiam jamjam noſcere poſſis,
Si ad januam huc acceſſeris, niſi juſſero, propius,
Ego te faciam miſerrimus mortalis uti ſis.
Scis jam meam ſententiam? Quo abis? Redi rurſum.

Con. Ita me bene amet Laverna, te jam, niſi reddi
Mihi vaſa jubes, pipulo hic differam ante ædis.
Quid ego nunc agam? næ edepol veni huc auſpicio malo.
Nummo ſum conductus: plus jam medico mercede opus eſt.

ACTUS III. SCENA VIII.

EUCLIO, CONGRIO.

Euclio.

HOC quidem hercle, quoquo ibo nunc, mecum erit, mecum feram:
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet.
Ite sane nunc jam intro omnes, et coqui, et tibicinæ.
Etiam huc introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc jam quantum lubet.
Con. Tempeti: postquam implevisti fustibus istorum caput.
Euc. Intro abi. Opera huc est conducta vestra, non oratio.
Con. Heu senex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
Euc. Lege agito mecum, molestus ne sis: i, et cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. *Con.* Abi tu modo.

ACTUS III. SCENA IX.

EUCLIO.

ILLIC hinc abiit. Di immortales! Facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium,
Aut rem: velut Megadorus tentat me omnibus miserum modis:
Qui simulavit, mei honoris mittere huc caussa coquos,
Is ea caussa misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,

Qui erat anui peculiaris, perdidit pœniſſume.
Ubi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire unguli
Circumcirca. Quid opus eſt verbis? Ita mihi pectus
peracuit:
Capio fuſtem, obtrunco gallum, furem manifeſtarium.
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam feciſſet. Exemi è manu manubrium.
Quid opus eſt verbis? facta eſt pugna in gallo gallinaceo.

ACTUS IV. SCENA I.

LYCONIDES, EUNOMIA.

Lyconides.

DIXI tibi, mater, juxta rem mecum tenes,
Super Euclionis filiâ. Nunc te obſecro
Fac mentionem cum avunculo, mater mea,
Reſecroque, mater, quod dudum obſecraveram.
Eun. Scis tute facta velle me, quæ tu velis,
Sed vix confido a fratre me inpetraſſere,
Et cauſa dura eſt. Nempe ipſa quod ſuaſi prius
Quo ſuadeam rurſus voltu ut ne fiat itidem?
Lyc. Perii, mea, mater, rem capeſſas obſecro.
Eun. I, hac intro mecum. Sed quî efficiam tibi
Ut iſthuc quod me oras impetratum ab eo auferam?
Lyc. I, jam ſequor te, mater, ſed ſervum meum
Strobilum miror ubi ſit, quem ego me juſſeram
Hic opperiri, at jam adeſſe conſpicor.

ACTUS IV. SCENA II.

LYCONIDES, STROBILUS.

Lyconides.

PERII! ſalutem nuſquam invenio Strobile.
Str. Non facile eſt inventu ut aiunt. Quid tum poſtea?
Lyc. Rides? *Str.* Quidni rideam? *Lyc.* Quâ gratiâ?
Str. Tu amas non ego. Tu virgines inſane deperis.
Quod ſi inſanias, neceſſe eſt ego ut inſaniam?
Lyc. Hoc age. *Str.* Ago vero ſedulo atque ſerio.
Lyc. In primis matri vix perſuadeo, namque ait
Se nec poſſe nec audere fratrem advorſarier.
Nec ſemel factum infectum reddi queat.
Quid reſtat? Niſi ut patruum conveniam meum.
Orabo, ſupplicabo, juveni ut concedat ſenex.
Str. Paullum proficies. *Lyc.* Quamobrem?
Str. Delirant ſenes,
Qui ſi uxorem ſemel ducere inſtituerint.
Intentius properant quo tardius occeperint.
Lyc. Quid ſi Phædram parituram dixero? *Str.* Cave
Faxis, nam tete mulctabis infortunio
Et palam facies quod minimè efferri decet.
Lyc. Certum eſt. Peccatum omne confitebor meum,
Quando aliam mihi nullam reliqui viam.
Tu abi, et Euclionem ſeu foris ſit, ſeu domi
Futurus, cures præſtolere ſedulo.

ACTUS IV. SCENA III.

STROBILUS.

MEMINI tametsi nullus moneas. Nam senem
Illum furiis sævientem atque fustibus,
Crediderim vel collum olim fregisse hospiti.
Quicquid insanit si sortè extricavero,
Reum lubenter deferam prætoribus,
Natæ et familiæ probè ut ulciscar mala.

ACTUS IV. SCENA IV.

MEGADORUS.

NARRAVI amicis multis consilium meum
De conditione hac. Euclionis filiam
Laudant: sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant cæteri,
Opulentiores, pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur.
Nam profectò sunt multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumptusque intolerabiles.
Nam quæ indotata est, ea in potestate viri est.
Dotatæ mactant et malo et damno viros.
Sed eccum affinem ante ædes. Quid ais Euclio?

ACTUS IV. SCENA V.

EUCLIO, MEGADORUS.

Euclio.

NIMIUM lubenter edi sermonem tuum.
Meg. Ain'? audivisti? *Euc.* Usque à principio omnia. *Meg.* Tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiæ nuptiis.

Euc. Pro re nitorem, et gloriam pro copia
Qui habent, meminerint ſeſe unde orundi ſient.
Neque pol, Megadore, mihi, neque cuiquam pauperi,
Opinione melius res ſtructa eſt domi.
Meg. Immo eſt, et dii faciant uti ſiet,
Plus pluſque iſtuc ſoſpitent quod nunc habes.
Euc. Illud mihi verbum non placet; quod nunc habes,
Tam hic ſcit me habere, quam egomet. Anus ſecit palam.
Meg. Quid tu te ſolus de ſenatu ſevocas?
Euc. Pol ego te ut accuſem merito meditabar.
Meg. Quid eſt?
Euc. Quid ſit me rogitas? Qui mihi omnis angulos
Furum impleviſti in ædibus miſero mihi:
Qui intromiſiſti in ædes quingentos coquos,
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo:
Quos ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno cuſtodem addidit,
Is nunquam ſervet. Præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.
Tum obſonium autem. *Meg.* Pol vel legioni ſat eſt,
Etiam agnum miſi. *Euc.* Quo quidem agno, ſat ſcio,
Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam.
Meg. Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.
Euc. Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet.
Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
Meg. Cædundum illum ego conduxi. *Euc.* Tum tu idem optumum eſt
Loces efferendum: nam jam credo mortuus eſt.
Meg. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
Euc. Non potem ego quidem mehercle. *Meg.* At ego juſſero
Cadum unum vini veteris à me afferrier.
Euc. Nolo hercle, nam mihi hibere decretum eſt aquam.
Meg. Ego te hodie reddam madidum, ſed vino, probe,
Te, cui decretum eſt bibere aquam. *Euc.* Scio quam rem agat.

Ut me deponat vino, eam affectat viam:
Post hoc, quod habeo, ut commutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abstrudam foris.
Ego faxo, et operam et vinum perdiderit simul.
Meg. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacrificem.
Euc. Edepol næ tu, Aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum quod tibi concreditum est.
Nunc hoc mihi factum est optumum, ut te auferam
Aulam in Fidei fanum; ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me, et ego te: cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

ACTUS IV. SCENA VI.

STROBILUS.

HOC est servi facinus frugi, facere quod ego persequor:
Nec moræ molestiæque imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere.
Is speculatum huc misit me, ut, quæ fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic assidam sacra.
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

ACTUS IV. SCENA VII.

EUCLIO, STROBILUS.

Euclio.

TU modo cave cuiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides.
Non metuo ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est.
Edepol næ illic pulchram prædam agat, si quis illam invenerit

Aulam onuſtam auri. Verum id te quæſo ut prohibeſſis, fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi arceſſat me, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, fides, etiam atque etiam nunc, ſalvam ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum: in tuo luco et fano modo eſt ſitum.
Str. Di immortales! quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hic intus in fano. Fides,
Cave tu illi fidelis, quæſo, potius fueris, quam mihi.
Atque hic pater eſt, ut ego opinor, hujus, herus meus quam amat.
Ibo hinc intro: perſcrutabor fanum, ſi inveniam uſpiam
Aurum, dum hic eſt occupatus: ſed ſi repperero, ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fecero.

ACTUS IV. SCENA VIII.

EUCLIO.

NON temere eſt, quod corvos cantat mihi nunc ab læva manu.
Semel radebat pedibus terram, et voce crocibat ſua.
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare. Sed ego ceſſo currere.

ACTUS IV. SCENA IX.

EUCLIO, STROBILUS.

Euclio.

FORAS, lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modo,
Qui modo nuſquam comparebas: nunc, quum compares, peris.
Ego edepol te, præſtigiator, miſeris jam accipiam modis.

Str. Quæ te mala crux agitat? Quid tibi mecum eſt commercii, ſenex?
Quid me afflictas? Quid me raptas? Qua me cauſſa verberas?
Euc. Verberabiliſſime, etiam rogitas? Non fur, ſed trifur
Str. Quid tibi ſurripui? *Euc.* Redde huc ſis, *Str.* Quid tibi vis reddam? *Euc.* Rogas?
Str. Nihil equidem tibi abſtuli. *Euc.* At illud, quod tibi abſtuleras, cedo.
Str. Hem, quid agis? *Euc.* Quid agam? Auferre non potes. *Str.* Quid vis tibi?
Euc. Pone. *Str.* Id quidem pol te datare, credo conſuetum, ſenex.
Euc. Pone hoc ſis: aufer caviſlam: non ego nunc nugas ago.
Str. Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quicquid eſt, ſuo nomine.
Non, hercle, equidem quicquam ſumpſi, nec tetigi. *Euc.* Oſtende huc manus.
Str. Hem tibi. *Euc.* Oſtende. *Str.* Eccas. *Euc.* Video. Age oſtende etiam tertiam.
Str. Larvæ hunc atque intemperiæ inſaniæque agitant ſenem.
Faciſne injuriam mihi, an non? *Euc.* Fateor, quia non pendes, maxumam.
Atque id quoque jam fiet, niſi fatere. *Str.* Quid fatear tibi?
Euc. Quid abſtuliſti hinc? *Str.* Dî me perdant, ſi ego tui quicquam abſtuli.
Euc. Nive adeo abſtuliſſe vellem. Agedum, excutedum pallium.
Str. Tuo arbitratu. *Euc.* Ne inter tunicas habeas. *Str.* Tentâ qua lubet.
Euc. Vah, ſceleſtus, quam benigne! ut ne abſtuliſſe intellegam.
Novi ſycophantias. Age rurſum, oſtende huc manum Dexteram. *Str.* Hem. *Euc.* Nunc lævam oſtende. *Str.* Quin equidem ambas profero.

Euc. Jam ſcrutati mitto. Redde huc. *Str.* Quid reddam? *Euc.* Ah nugas agis.
Certe habes. *Str.* Habeo ego? Quid habeo? *Euc.* Non dico: audire expetis.
Id meum quicquid habes, redde. *Str.* Inſanis: perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inveniſti penes.
Euc. Mane, mane: quis illic eſt, qui hic intus alter erat tecum ſimul?
Perii hercle! ille nunc intus turbat. Hunc ſi amitto, hic ablerit.
Poſtremo jam hunc perſcrutavi. Hic nihil habet. Abi quo lubet.
Juppiter te dique perdant. *Str.* Haud male agit gratias.
Euc. Ibo hinc intro, atque illi ſocienno tuo jam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? Abin' hinc, an non? *Str.* Abeo.
Euc. Caveſis te videam.

ACTUS IV. SCENA X.

STROBILUS.

EMORTUUM ego me mavelim letho malo,
Quam non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nam hic jam non audebit aurum abſtrudere.
Crodo referet jam ſecum, et mutabit locum.
Attat foris crepuit! ſenex eccum aurum effert foras.
Tantiſper hic ego ad januam conceſſero.

ACTUS IV. SCENA XI.

EUCLIO, STROBILUS.

Euclio.

FIDEI cenſebam maxumam multo fidem
Eſſe. Ea ſublevit os mihi peſſumè.
Ni ſubvenſſet corvus, periſſem miſer.

Nimis hercle ego illum corvum ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illi aliquid boni
Dicam. Nam quod edit, tam duim, quam perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Sylvani lucus extra murum est avius,
Crebro salicto oppletus, ibi sumam locum.
Certum est, Sylvano potius credam, quam fidei.
Str. Euge! euge! dii me salvum et servatum volunt.
Jam ego illuc præcurram, atque inscendam aliquam in arborem?
Indeque observabo, aurum ubi abstrudat senex.
Quanquam hic manere herus me sese jusserat,
Certum est, malam rem potius quæram cum lucro.

ACTUS IV. SCENA XII.

MEGADORUS, LYCONIDES.

Megadorus.

EGO nihil video, Lyconide, quapropter gratias
Tam largiter profuderis. Quoniam tibi
Cùm bene velim, equidem officium facio meum.
Lyc. Mi patrue! *Meg.* Vel propter Eunomiam, vel virginis
Ipsius causâ, hoc ita fieri ut factum est, gaudeo.
Lyc. Dii me omnes oderint mi patrue, nisi me pudet
Tantum facinus in me admisisse. *Meg.* Bono animo es
Quando infectum reddi non potest, id proximum est,
Quod labefactatum est, iterum ut restituas in locum.
Tecum redi in gratiam. Mihi enim jam factum est satis:
Nam postquam resipisse te intellexi, ut liberum decet,
Non video meledictis locum aut opprobriis.
Lyc. Quid nunc incœptem ergo? *Meg.* I, propera, quantum potes,
Et Euclioni repudium renuncia meo nomine.
Lyc. Dii, patrue mi, omnia tibi optata offerant,

ACTUS V. SCENA I.

STROBILUS.

PIGI divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero. Nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego ſum ille rex Philippus. ô lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo illuc adveni prior,
Multoque prius me collocavi in arborem:
Indeque exſpectabam ubi aurum abſtrudebat ſenex.
Ubi ille abiit, ego me deorſum duco de arbore;
Effodio aulam auri plenam. Inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem? ille me non videt.
Nam ego modo declinavi paulum me extra viam.
Attat eccum ipſum. Ibo ut hoc condam domum.

ACTUS V. SCENA II.

EUCLIO, LYCONIDES.

Euclio.

PERII! interii! occidi! quo curram? Quo non curram?
Tene, tene! Quem? Quis? Neſcio, nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quo eam, aut ubi ſim, aut qui ſim, nequeo cum animo
Certum inveſtigare, obſecro vos ego, mihi auxilio,
Oro, obteſtor, ſitis, et hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.
Qui veſtitu et creta occultant ſeſe, atque ſedent quaſi ſint frugi.
Quid ais tu? Tibi credere certum eſt. Nam eſſe bonum, è vultu cognoſco.
Quid eſt? Quid ridetis? Novi omnes: ſcio fures eſſe hic complures.

Hem, nemo habet horum! occidisti! dic igitur, quis habet? Nescis!
Heu me miserum, miserum! perii male perditus! pessume ornatus eo.
Tantum gemiti et malæ mœstitiæ hic dies mihi obtulit,
Famem et paupertatem: perditissimus ego sum omnium in terra.
Nam quid mihi opus est vita, qui tantum auri perdidi?
Quod custodivi sedulo. Egomet me defraudavi,
Animumque meum, geniumque meum. Nunc eo alii lætificantur,
Meo malo et damno: pati nequeo.
Lyc. Quinam homo hic ante ædis nostras ejulans conqueritur mœrens?
Atque hic quidem Euclio est. Est, opinor. Oppido ego interii! palam est res.
Scit peperisse jam, ut ego opinor, filiam suam. Nunc mihi incertum est,
Quid agam? Abeam an maneam? An adeam? An fugiam? Quid agam edepol nescio.

ACTUS V. SCENA III.

EUCLIO, LYCONIDES.

Euclio.

QUIS homo hic loquitur? *Lyc.* Ego sum. *Euc.* Imo ego sum miser, et misere perditus,
Cui tanta mala, mœstitudoque obtigit. *Lyc.* Animo bono es.
Euc. Quo obsecro pacto esse possum? *Lyc.* Quia istuc facinus quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, et fatsor. *Euc.* Quid ego ex te audio?
Lyc. Id quod verum est. *Euc.* Quid ego emerui, adolescens, mali?
Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?

Lyc. Deus impulſor mihi fuit, is me ad illam illexit.
Euc. Quo modo?
Lyc. Fateor peccaviſſe, et me culpam commeritum ſcio.
Id adeo te oratum advenio, ut animo æquo ignoſcas mihi.
Euc. Cur id auſus facere, ut id, quod non tuum eſſet, tangeres?
Lyc. Quid vis fieri? Factum eſt illud. Fieri infectum non poteſt.
Deos credo voluiſſe: nam ni vellent, non fieret, ſcio.
Euc. At ego deos credo voluiſſe, ut apud te me in nervo enicem.
Lyc. Ne iſtuc dixis. *Euc.* Quid tibi ergo meam me invito tactio eſt?
Lyc. Quia vini vitio atque amoris feci. *Euc.* Homo audaciſſume,
Cum iſtacine te oratione huc ad me adire auſum, impudens?
Nam ſi iſtuc jus eſt, ut tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce clarò deripiamus aurum matronis palam;
Poſt id, ſi prehenſi ſumus, excuſemus, ebrios
Nos feciſſe amoris cauſſa. Nimis vile'ſt vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.
Lyc. Quin tibi ultro ſupplicatum venio ob ſtultitiam meam.
Euc. Non mihi homines placent, qui, quando malefecerunt, purgitant.
Tu illam ſcibas non tuam eſſe; non attactam oportuit.
Lyc. Ergo quia ſum tangere auſus, haud cauſſificor quin eam
Ego habeam potiſſumum. *Euc.* Tun' habeas me invito meam?
Lyc. Haud te invito poſtulo: ſed meam eſſe oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam eſſe oportere, Euclio.

Euc. Niſi refers.—*Lyc.* Quid tibi ego referam? *Euc.* Quod ſurripuiſti meum.
Jam quidem hercle te ad prætorem rapiam, et tibi ſcribam dicam.
Lyc. Surripui ego tuum? Unde? Aut quid id eſt? *Euc.* Ita te amabit Juppiter,
Ut tu neſcis? *Lyc.* Niſi quidem tu mihi, quid quæras, dixeris.
Euc. Aulam auri, inquam, te repoſco, quam tu confeſſus mihi
Te abſtuliſſe. *Lyc.* Neque edepol ego dixi, neque feci. *Euc.* Negas?
Lyc. Pernego imo, nam neque ego aurum, neque iſtæc aula quæ ſiet,
Scio, nec novi. *Euc.* Illam, ex Sylvani luco quam abſtuleras, cedo.
I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametſi fur mihi es, moleſtus non ero. I vero, refer.
Lyc. Sanus tu non es, qui furem me voces. Ego te, Euclio,
De alia re reſciviſſe cenſui, quod ad me attinet.
Magna eſt res: quam ego tecum otioſe, ſi otium eſt, cupio loqui.
Euc. Dic bona fide: tu id aurum non ſurripuiſti? *Lyc.* Bona.
Euc. Neque ſcis quis abſtulerit? *Lyc.* Iſtuc quoque bona. *Euc.* Atque id ſi ſcies
Qui abſtulerit, mihi indicabis? *Lyc.* Faciam. *Euc.* Neque partem tibi
Ab eo, quiqui eſt, inde poſces: neque furem excipies? *Lyc.* Ita.
Euc. Quid ſi fallis? *Lyc.* Tum me faciat quod volt magnus Juppiter.
Euc. Sat habeo. Age nunc loquere quid vis. *Lyc.* Si me noviſti minus,
Genere qui ſim gnatus: hic mihi ea Megadorus avonculus:
Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides:

Mater eſt Eunomia. *Euc.* Novi genus. Nunc quid vis? Id volo
Noſcere. *Lyc.* Filiam ex te tu habes. *Euc.* Imo eccillam domi.
Lyc. Eam tu deſpondiſti, opinor, meo avunculo. *Euc.* Omnem rem tenes.
Lyc. Is me nunc renunciare repudium juſſit tibi.
Euc. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?
Ut illum di immortales omnes deæque, quantum eſt, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi, infelix, miſer.
Lyc. Bono animo es, et benedice. Nunc quæ res tibi et gnatæ tuæ
Bene feliciterque vortat, ita di faxint, inquito.
Euc. Ita dî faciant. *Lyc.* Et mihi ita dî faciant. Audi nunc jam.
Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget ſe. Nunc te obteſtor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoſcas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent:
Ego me injuriam feciſſe filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis, per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ.
Euc. Hei mihi! quod facinus ego ex te audio? *Lyc.* Cur ejulas?
Quem ego avum feci jam ut eſſes filiæ nuptiis:
Nam tua gnata peperit, decumo menſe poſt: numerum cape:
Ea re repudium remiſit avunculus cauſſa mea.
I intro, exquire, ſitne ita, ut ego prædico. *Euc.* Perii oppido!
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ ſe agglutinant.
Ibo intro, ut quid hujus veri ſit, ſciam. Sed tu ſcelus,

ACTUS V. SCENA IV.

MEGADORUS, EUCLIO, LYCONIDES.

Megadorus.

HEUS Euclio. *Euc.* Quis homo es? *Meg.* Megadorus. *Euc.* Apage fis.
Meg. Audi modo. *Euc.* Nihil audio. Quid ego nunc audiam miſer?
Hoccine eſt credibile Megadore aut memorabile
Ut homo nobilis, dives, libero natus loco,
Poſtquam ambierit affinitatem pauperis,
Mox ut repudium renunciet; neque id ſatis,
Niſi ipſus etiam poſtea deriſum advenit.
Meg. Minime. Sed me tibi expurgatum iri velim.
Euc. Quid? Ubi inopiam meam ſumptibus exhauſerim
Veſtibus, dapibus, ornatibus et paratibus.
Meg. Quibuſnam? *Lyc.* Tuſculo et corollis floreis.
Meg. Cur non ludo hunc aliquantiſper? *Lyc.* Age, patrue.
Meg. Ætatem, Euclio, et mores quando reſpicio meos,
Sat rei eſt cur nolim ducere adoleſcentulam.
Nam ut apertè tibi fabuler me ſumptus territant.
Euc. Utinam territaſſent, priuſquam animum induxeras,
Ut me ludificares et filiam meam.
Meg. Audi modo. Nam mecum rationes ipſe inii,
Quid luxus, hodie et faſtus muliebris exigit.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones, patagiarii, induſiarii,
Flammearii, violarii, cerinarii,
Aut manularii, aut murobathrarii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii ſutores, diabathrarii,
Solearii aſtant, aſtant molochinarii,
Petunt fullones, ſarcinatores petunt,
Strophiarii aſtant, aſtant ſemizonarii.
Jam hoſce abſolutos cenſeas: cedunt, petunt.

Trecenti cum ſtant phylaciſtæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Æs. Jam hoſce abſolutos cenſeas,
Cum incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt, quæ aliquid petat.
Euc. Ohe! Sed ſi profecto vera hæc ſunt maxime,
Ut ſunt, iſtæc nunc demum eſt inventa ratio?
Ut pactum non pactum ſit quod pactum eſt prius.
Novi veſtra hæc. Ubi aurum olim ſuboluit meum,
Affinitatem meam expetiiſtis ſedulò:
Nunc quoniam id periit, unà voſtra periit fides.
Meg. Inſanis Euclio. *Euc.* Quidni inſaniam? *Meg.* In te redi,
Nam ſi quid ego aut Lyconides deliquimus,
Reſartum cupimus tecum inire gratiam.
Reputa modo, generum adſciſces, ſenis loco,
Juvenem. Filiæ tutorem paratum et virum.
Euc. Quid? Conditionem quam reſpuiſtis modo
Eandem poſtea mox iterum repetitis!
Nihil audio. Voſtris etenim fallaciis,
Et damnis meis, eo ſum redactus miſer,
Ut omnino quid de me fiet neſciam.
Abite ambo in malam rem.

ACTUS V. SCENA V.

LYCONIDES, MEGADORUS.

Lyconides.

TU abi et ſuſpende te.
Meg. Abiit iratus admodum. Sed nullus video,
Lyconide, cur deſperes. Ipſus domi
Poſtquam peperiſſe filiam reſciverit,
Ultro aderit ſupplicans, et dicet ſecum bene
Eſſe actum, ſi modo duxeris. I, Strobilum
Ad me adducas faxis, domum ſi redierit.

ACTUS V. SCENA VI.

STROBILUS, LYCONIDES.

Strobilus.

DI immortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!
Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo: quis me eſt divitior?
Quis me Athenis nunc magis quiſquam eſt homo, cui di ſint propitii?
Lyc. Eſtne is quem quæro? Lætus eſt neſcio quid.
Str. Hem! herumne ego aſpicio meum? *Lyc.* Videon' ego hunc Strobilum ſervum meum?
Str. Ipſus eſt. *Lyc.* Haud alius eſt. *Str.* Congrediar. *Lyc.* Contollam gradum.
Str. Quin ego illi me inveniſſe dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat. Ibo atque eloquar.
Repperi. *Lyc.* Quid repperiſti? *Str.* Non, quod pueri clamitant,
In faba ſe repperiſſe. *Lyc.* Jamne autem, ut ſoles, deludis:
Str. Here, mane, eloquar. Jam auſculta. *Lyc.* Age ergo loquere. *Str.* Repperi hodie,
Here, divitias nimias. *Lyc.* Ubinam? *Str.* Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.
Lyc. Quod ego facinus audio ex te? *Str.* Euclioni huic ſeni ſurripui.
Lyc. Ubi id eſt aurum? *Str.* In arca apud me. Nunc volo me emitti manu.
Lyc. Egone te emittam manu, ſcelerum cumulatiſſume? *Str.* Abi here, ſcio
Quam rem geras. Lepide, hercle, animum tuum tentavi. Jam
Ut eriperes, apparabas. Quid faceres, ſi repperiſſem?

Lyc. Non potes probaſſe nugas: I redde aurum.
Str. Reddam ego aurum?
Str. Redde, inquam; ut huic reddatur. *Str.* Ah, unde?
Lyc. Quod modo faſſus es eſſe
In arca. *Str.* Soleo, hercle, ego garrire nugas, ita loquor. *Lyc.* At ſcin
Quomodo? *Str.* Vel hercle enica, nunquam hinc feres
Ja me.
Lyc. Oſtende modo. *Str.* Quid velis ego ut oſtendam tibi?
Lyc. Aurum, arcam, aulam, quicquid id eſt celatum, volo.
Str. Nempe ut eripias. *Lyc.* Quid? Arrogas peculium?
Str. Non. *Lyc.* Garris. Quid ergo? *Str.* Liber ut fiam hodie.
Lyc. Si merito meruëris dabitur ſtipendium.
Str. Eccum. *Lyc.* Quid video? *Str.* Abſiſte tu vero longiùs,
Aut rem, ut facta eſt, faciam palam ſeni. *Lyc.* Enecas,
Ludis et lactas me ſpe inani, verbero.
Str. Non ludo neque lactito. Sed tu ipſi in mora es tibi,
Qui aurum poſtulas, nec promittis præmium.
Lyc. Age, age, expedi modo propere et quidvis impera.
Str. Age, age, libera me propere et tu quidvis impera.
Abſiſte inquam iterum, donec fidem feceris,
Si dedero, me illico te emiſſurum manu.
Lyc. Viciſti. Quid agam, ſervo qui ſervio meo?
Str. Fac promittas. *Lyc.* Promitto, ſpondeo, fidem
Do, deos obteſtor ſuperos atque inferos.
Str. Hem. Accipe. *Lyc.* Quam onuſtum! *Str.* Quod felix et fauſtum ſiet
Et tibi et Phædræ tuæ et puero in natalibus.
Lyc. Pulchrè hodie profeciſti Strobile. *Str.* Maxime:
Namque meâ operâ eſt quod vivis, Lyconide.
Lyc. Verum prædicas, atque ubi tempus erit, meminero.
Hoc auro ſcilicet Euclionem ipſum redimam,
Et totum quod uſquam eſt genus Euclionidum.
Str. Quid? Reddes? *Lyc.* Reddam hercle. *Str.* Datis cave vadibus.

Lyc. Ego videro. Nunc visam, Euclio si sit domi.
Tu abi, lectulos jube sterni, et parari nuptias,
Et vini veteris vide parata ut sit amphora,
Ubi jussero. *Str.* Quam tu totam bibes? *Lyc.* Maximè.
Et tu item alteram, si rem curassis probè.

ACTUS V. SCENA VII.

LYCONIDES, EUCLIO.

Lycanides.

LYCONIDES ego sum. Aperite aliquis ostium.
Euclio, Euclio! *Euc.* Quis me nominat? Lyconide!
Quid rei tibi mecum est? Quid adventas iterum
Meæ corruptor filiæ et familiæ?
Lyc. Missum isthoc face, namque in hac re Euclio
Quicquid admissum est, id scito contumeliæ
Non me feciſſe causâ, nec injuriæ.
Amore impulsus et vinolentiâ
Id feci victus quod cavissem sobrius.
Ignosce tandem. *Euc.* Ah! *Lyc.* Nunc supplicatum venio
Atque istud simul fero, quod (si respexeris)
Reducat me iterum tecum in gratiam, puto.
Ne avorseris. Respice. *Euc.* Quid video? Aulam meam!
Dixi te furem esse. Eho impudens! redde illico.
Lyc. Reddam. Sed. *Euc.* Nihil audio. Fur es, in jus ambula.
Lyc. In jus si velis. Sed prius ausculta modo
Paucis, si non molestum est. *Euc.* Quid meam tibi tactio est?
In jus eamus. *Lyc.* Nihil opus est. Reddidero enim,
Hâc lege tamen, natam si desponderis prius.
Vide, signatur, signo ut signata est tuo.
Euc. Et totam reddes? *Lyc.* Totam quadrilibrem inquio,
Unus si Philippus deerit, ne desponderis.

Euc. Redde ergo. *Lyc.* Mane sis. Reddetur ne time.
Cedò dextram. *Euc.* Aſt ego tibi contra, Lyconide,
Et filiam tradam (cum dote quam dixi modo)
Et Staphylam anum, atque omnem familiam simul.
Lyc. Accipio conditionem. Hoc addam etiam insuper,
Gratuito ut istum gallum gallinaceum
Cum cæteris simul traduxissem domum,
Nisi tu prius ipse trucidaveras. *Euc.* Bene
Dixti! sed cessas. *Lyc.* Heus Staphyla exi foras.

ACTUS V. SCENA VIII.

STAPHYLA, LYCONIDES, EUCLIO, STROBILUS.

Staphyla.

QUID vis? *Lyc.* Propera, Staphyla, et fac parentur omnia,
Traduce et Phædram et omnem familiam ad nos.
Sta. Placet.
Sed amphoram non video quam promiseras
Dudum. *Lyc.* Curatum est. Evocate huc Strobilum,
Atque amphoram jubete efferri, si paraverit.
Str. Eccum adest. Satin ampla est? *Lyc.* Fecisti probe.
Sta. Ampla est ecastor, et digna quâ me proluam.
Quin tradat jube. *Lyc.* Mane sis, et si potis es, tace.
In primis Euclio tibi nunc ego in manus
Do aulam auri, ut abrepta est, plenam atque integram.
Id quæso deos tibi ut secundent prosperè.
Euc. Teneo te, anime mi? Ut amplexor te avidis
Ulnis! ut te gestio gestare in sinu meo!
Ut te. *Lyc.* Siste paulisper et te reprime.
Strobile accede huc. Quandoquidem bene promeritus es,
Liber esto. *Str.* O faustum et felicem diem!
Et habetur tibi, here, et referetur gratia,
Dum vivo semper. *Lyc.* Tu vero, Staphyla, mulier
Optima et bibacissima, quoniam Phædram meam
Fecisti plurimi, et quia plagas plurimas

Tuliſti fortiter, ut decet taciturnam anum,
Cui gravida puella amores credidit ſuos.
Hâc amphorâ te dono. Hem; cape, et reſtingue ſitim.
Sta. O lepidiſſime hominum quot vivunt omnium!
Dij te omnes ament, diligant Lyconide.
Flos veteris vini meis naribus objectus eſt.
Liberi lepos! ut veteris vetuſti cupida ſum!
Euc. O ſpes, O corculum, dulci te capio oſculo!
Sta. Omnium unguentûm odor præ tuo nauſea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa!
Euc. Regina Juno, et noſtri cuſtos Jupiter
Theſauri, imbres palam demittis aureos!
Et verè aureum turſus reducis ſæculum!
O ſalve, ſalve vitæ adminiculum meæ!
Sta. Tu crocinum et caſia es, tu bdellium! nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepultam.
Euc. Te, quadrilibris aula, juxta pervelim
Sepultam, mecum omnia ut ſic abſumam mea.
Sta. Sed quum adhuc naſo odos obſecutus es meo,
Da nunc viciſſim meo gutturi gaudium.
Str. Sitit hæc anus. *Lyc.* Quantillum ſitit! modica eſt.
Capit quadrantal. *Str.* Hauſtum at qui ſitit aureum
Vindemia totius anni huic non ſatis eſt ſoli.
Euc. Quid iſthuc? Sitio quod ſitio. Abite inquio,
Nihil erit mihi vobiſcum poſt conſortii.
Amovete vos. Apage. Hæc filia eſt, et gener,
Et conjux quîcum dormiam. Placet. Juvat.
Valeant qui inter nos divortium volunt.
Str. Ne expectetis dum duci huc per viam
Ægrotam videatis Phædram, et puerperam;
Intus tranſigetur ſi quid eſt quod reſtat. Plaudite.

FINIS.